



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quid sit cognatio spiritualis, unde oriatur & inter quas personas contrahatur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

libertatem, & servitutem c. final. de serv. non ordinand. & Instit. de iure personarum §. Servi autem; valet tamen etiam statutum, vel consuetudo legitimè præscripta, ut patris conditionem, quoad libertatem & servitutem, sequatur proles

c. Licet 3. h. 1. quia cum res non descendat ex iure humano, potest interrogare consuetudo; quin etiam in dubio semper pro libertate, favore libertatis, iudicandum est, cum favore libertatis sit maximus c. fio. de re iudicat.

## T I T V L V S X DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

**N**atum ex libera matre, liberum esse de iure communi, modò ante dictum, quod idem dicendum est de nato ex libera. c. Indecens unico h. 1. & quamvis quoad familiam, nobilitatem, dignitatem, &c. patris conditionem sequatur filius L. Cum legitima 19. iunctà Glos. ff. De statu hominum. cum proles à patre tanquam causa principali suum esse ha-

beat; quoad statum tamen libertatis & servitutis, matris conditionem sequatur proles, defectum hunc patiens à casu minus principali. Sufficit autem ad proles libertatem, si mater tempore conceptionis, vel tempore natiuitatis, vel intermedio aliquo tempore, quo proles in utero ferebatur, fuit libera, exigent hunc favorem favore libertatis.

## T I T V L V S XI DE COGNATIONE SPIRITUALI.

### §. I.

*Quid sit cognatio spiritualis, unde oriatur, & inter quas personas contrahatur?*

**C**ognatio spiritualis est propinquitas quædam personarum, quæ ex statuto Ecclesiæ oritur ex administratione, seu collatione, & susceptione Sacramenti Baptismi, & confirmationis; sicut enim per carnalem generationem homo nascitur naturaliter, & postea corporaliter reberatur; sic per baptismum regene-

ratur homo spiritualiter, & per confirmationem spiritualiter reboratur; hinc ergo generari, & reborari naturaliter & corporaliter inducit cognationem naturalem, ita regenerari & reborari spiritualiter infert cognationem spirituales perpetuam; non quidem ex iure naturali cum Sacramentorum ratio nullam in iure naturali fundamentum habeat, sed ex iure Ecclesiastico; & quamvis de antiquo iure Decretalium, triplex fuerit hæc cognationis species, paternitatis scilicet, compaternitatis, & fraternitatis, hodie-



no tamen jure standum est dicendis §. sequente.

§. II.

*Quanam circa cognationem spiritualem, sive paternitatis, sive compaternitatis, sive fraternitatis, jure antiquo Decretalium statuta sint, & inter quas personas impediat ea matrimonium contrahendum, vel dirimat jam contractum?*

**M**ateria hujus §. cum hodie in usu vix sit, rectius ea ex *Auth. Metho.* hoc §. vel ex variis luris & hujus tituli capitulis c. 1. 2. 3. 5. 6. & 7. &c. intelligi poterit, quam ut pluribus ea hinc examinetur.

§. III.

*An per Catechismum precedentem baptismum contrahatur cognatio spiritualis impediens ac dirimens matrimonium?*

**E**tiam hæc §. hujus materia nullius hodie usus est, postquam, quod olim impedimentum impediens erat, baptizandi instructio, sive Catechismus, hodie desit. Videatur c. 5. b. 1. & 2. in 6. eodem.

§. IV.

*An plures possint intervenire patrini, seu susceptores in Baptismo & Confirmatione de jure antiquo, & an inter omnes, si plures sint patrini, contrahatur cognatio spiritualis?*

**V**ide de hoc antiquo jure c. *Quamvis* 3. b. 1. in 6. nobis hodie servit ad

hanc cognationem spirituales, ut impedimentum dirimens est, Concil. Tridentinum, quod multa antiqui juris circa hoc impedimentum statuta, correxit. De hoc proinde Tridentino fit

§. V.

*Inter quosnam contrahatur cognatio spiritualis in baptismo, & confirmatione de jure novo Concilii Tridentini.*

**D**e jure novo Concilii Tridentini in sess. 24. c. 2. de reforma. Matrimonij, duæ tantum sunt species cognationis hujus spiritualis ex baptismo, & confirmatione ortæ. Prima est paternitatis, quæ inter baptizantem, aut confirmatum ex altera parte contrahitur, cum illi proprie loquendo sint Patres spirituales, baptizati hujus, aut confirmati; altera est compaternitatis, quæ intercedit inter baptizantem, vel confirmantem, ac susceptores ex una parte; & inter Patrem & Matrem naturalem baptizati, aut confirmati ex altera parte, cum ad vitam tam naturalem, quam spiritualem dandam prolihi utrique concurrant.

§. VI.

*Quæ conditiones requirantur ad munus Patrini, & ad contrahendam cognationem spiritualem in baptismo, & confirmatione?*

**P**ertinebat olim ad Patrum in vita Christiana instituere eum, cujus in baptismo Patrinus est, præsertim